

IMPERATORIS
JUSTINIANI
INSTITUTIONUM
LIBRI QUATUOR.

*Adjecti sunt ex Digestis Tituli de
verborum significatione, & de
Regulis Juris.*

Cum Indice ad eosdem.



Superiorum permissu.

MATRITI:
IN TYPOGRAPHIA REGIA
M.DCCXCI,

PROOEMIUM.

De Confirmatione Institutionum.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

IMPERATOR *Cæsar Flavius Justinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Atticus, Alanicus, Fandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, victor, ac triumphator semper Augustus, cupida legum juventuti.* (S. D.)

IMPERATORIAM Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis, recte possit gubernari: & princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos trames calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus.

1 ¶ Quorum utramque viam cum summis vigiliis, summaque providentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros barbaricæ gentes sub iuga nostra redactæ cognoscunt: & tam Africa, quàm aliæ innumeræ provinciæ, post tanta temporum spatia nostris victoriis à Cœlesti Numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostroque additæ imperio, protestantur Omnes vero populi legibus tam à nobis promulgatis, quàm compositis, reguntur.

2 ¶ Et cum sacratissimas constitutiones, antea confusas, in luculentam ereximus consonantiam: tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina: & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cœlesti favore jam adimplevimus.

3 ¶ Cumque hoc, Deo propitio, peractum est, Triboniano viro magnifico, magistro, & exquæstore sacri palatii nostri, & exconsule necnon Theophilo, & Dorotheo, viris illustribus, antecessoribus quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem, jam ex multis rerum argumen-

~~INSTITUTIONUM~~
 INSTITUTIONUM,
 SEU ELEMENTORUM
 JUSTINIANI

Sacratissimi Principis

LIBER PRIMUS.

DE JUSTITIA, ET JURE.

TITULUS PRIMUS.

JUSTITIA est constans, & perpetua voluntas
 jus suum cuique tribuendi.

1 ¶ Jurisprudencia est divinarum, atque hu-
 manarum rerum notitia, justis, atque injustis
 scientia.

2 ¶ His igitur generaliter cognitis, & inci-
 pientibus nobis exponere jura populi Romani,
 ita videntur posse tradi commodissime, si pri-
 mò levi, ac simplici via, post deinde diligen-
 tissima, atque exactissima interpretatione, sin-
 gula tradantur; alioqui si statim ab initio ru-
 dem adhuc, & infirmum animum studiosi
 multitudinis ac varietate rerum oneraverimus,
 duorum alterum, aut desertorem studiorum
 efficiemus, aut cum magno labore, sæpe etiam
 cum diffidentia (quæ plerumque juvenes aver-
 tit)